



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

12 Subreptio, & obreptio, quomodo differant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

late, & Felyn. in cap. ad aures numer. 14. de rescript.

7 Vicariis † perpetuis congrua portio fructuum debet assignari, ut animarum cura nullatenus negligatur, nec beneficia ipsa debitis defraudentur obsequiis. *Clem. 1. de prab. concil. Trident. cap. 16. de resor. sess. 25. & Rebuff. eod. tract. cong. portio. numer. 24. si verò minor sit, saltem usque ad summam quinquaginta scutorum annuorum est augenda, ut in dict. constit. p. 7. portio autem, ut sit congrua, debet esse conveniens, & competens, ut Vicarius inde commodè vivere possit, glo. in c. vnic. §. sanè in verb. absque pena. 12. de stat. regul. in 6. & Rebuff. in eod. tract. numer. 6. in fin. Peti autem debet hæc congrua † portio coram Ordinariis locorum, quibus spectat tueri ecclesias, ut in pristino statu conserventur. c. de monachis. de prab. cap. fin. §. ubi autem, de decim. in 6. & etiam capitulum, vacante Sede Episcopali, de hac congrua portione poterit judicare, quia hoc est jurisdictionis quod ad capitulum, Sede vacante, transit. c. 1. ne sede vac. gl. in extrav. execrabilis. §. statuimus. in ver. ordinario de prab. & Rebuff. eodem tract. numer. 55. & 47. qui de congrua portione optimè, & copiosè scripsit.*

10 Vicariæ † perpetuæ, ut plurimum. fiunt ex causa unionum parochialium ecclesiarum, quæ cathedralibus, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis aut pijs locis perpetuè uniuntur. c. 7. de reform. sess. 7. & perpetuæ † uniones à quadraginta annis citra factæ ab Ordinariis, tanquam à Sede Apostolica delegatis, examinari debent, & quæ per subreptionem, vel obreptionem fuerunt obten-

tæ, irritæ sunt declarandæ, quæ autem à dicto tempore citra fuerunt concessæ, nondum tamen in toto, vel in parte effectam sortitæ, & quæ in futurum fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis quorum interest, vocandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ sunt præsumendæ. cap. 9. sess. 7. c. 13. §. in unionibus verò. sess. 24. & cap. 6. circ. fin. sess. 25. de resor. unio enim etiam ex causa facta, potest dissolui, si tempore procedente est ecclesiæ unitæ multum damnosa. Abb. in cap. 1. num. 3. ne sed. vac.

Subreptio † autem & obreptio differunt, quia subreptio procedit, quando quis in impetratione taceat litteras à parte adversa obtentas, de quibus non facit mentionem, ut si quis beneficium jam alteri beneficio unitum tacita priori unione alteri ecclesiæ obtineat uniri. gloss. fin. in cap. ad audientiam il. 2. in vers. potest dici. de rescript. Obreptiæ verò dicuntur litteræ quando per alicujus operam factum est, quòd impetratæ litteræ effugiant plenam intelligentiam Papæ, vel alterius superioris concedentis, aut ejus, qui necessitate juris vocandus est Innoc. in c. cum dilecta numer. 3. de rescript.

13 Uniones, † ut sint validæ, fieri debent vocatis, quorum interest, & dicta verba, quorum interest, ut in dict. cap. 6. habent vim clausulæ: vocatis vocandis, quæ facit semper exequutoriam mistum, etiam si aliàs esset merus, cum dicta clausula sit tantum roboris, ut semper faciat, quod pars audiat, ut ordinæ judiciali servato, ca. exhibita junct. gl. 1. de jud. & Felin. in c. de casero numer. 10. de re: jud. Ideo si beneficium juris patronatus uniatur sine consensu pa-